



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XI. De Mitzlao rectore ciuitatis & de factis eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

non aliud hoc portenti genus, nisi dæmonum expulsionem præfagire, qui Christianismi coruscantem per novos Doctores gratiam non ferentes, negata sibi in his regionibus mansione, Ruthenos, pagano adhuc errore irretitos, adiere.

De Mitzlao rectore ciuitatis, & de
factis eius.

CAPVT XI.

Sesfidus.

*Edir. Canislib.
3. cap. 9.*

*S. Otho cere-
monias dedica-
tionis populo
explicat.*



nter agendum verò, quid ipsa dedicatio, vel, quid singula opera dedicationis significare haberent, rudi populo Antistes exposuit, præcipue verò, ut Mitzlaum ipsius ciuitatis Principem, quem pridem in Pentecoste cum aliis Primatibus Vnoimix baptizauerat, & in eo cæteros erudirer, de omnibus his alioquitur sacramentum dedicationis ad animam cuiusque fidelis pertinere, sufficienti sermone demonstrans, quæ sancti Spiritus templum efficit, vel in cuius corde Christus per fidem inhabitat. Deinde sermonem ad ipsum Principem ex toto conuertens. Tu es, inquit, fili charissime, vera domus Dei, tu ipse hodie dicandus & dedicandus es, omnipotenti Deo, creatori tuo, ut emunis ab omni alieno possessore, ipsius tantum mansio fias, atque possessio. Non ergò impediās dedicationem tuam, fili charissime. Nihil enim prodest istam, quam cernis, domum foris dedicari, nisi etiam dedicatio ipsa ad cordis tui sanctificationem proficiat.

*Mitzlaus ab
Episcopo cupit
instrui.*

*Quid S. Otho à
Mitzlao postu-
larit.*

Ille verò exhortatione compunctus, ait; Et quid est, Pater sancte, quod me iubes facere, ut dedicatio ista in me compleatur? Episcopus autem intelligens adesse spiritum. Ex parte, inquit, fili Domus Dei esse cœpisti: fac, ut ex toto sis. Iam enim idololatriam fide commutasti, baptismi gratiam consecutus. Nunc sequitur, ut fidem operibus exornes, impietates, oppressiones, rapinas, homicidia & fraudes penitus deuita. Postremò, quidquid tibi fieri ab alio non vis, alij

ne feceris. Captiuitates, quas habes, absolue omnes. quod si non omnes, vel eos certe, qui Christiani sunt, tuæ fidei confortes.

Tum ille parum hæsitans; Durum, inquit, mihi est, Pater, dimittere omnes. quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis mihi detinentur. Tunc Episcopus; debita, inquit, pro debitis dimitti & sermo Euangelicus, & Dominica suadet oratio. Sic enim omnium debitorum tuorum apud Deum certam remissionem consequeris, si omnes debitores tuos in eius nomine absoluis. At ille altius ingemiscens. En, inquit, in nomine Domini IESU omnes absoluo, & secundum verbum tuum dimissis peccatis meis, dedicatio ista hodie in me compleatur. Et vocans ministrum, qui super captiuos erat, omnes dimitti præcepit.

Erat autem inter eos adolescens nobilis filius cuiusdam potentis de *Datia. Iste, absolutis aliis, in cauea quadam subterranea vincus cippo & caternis tenebatur, eo quod Pater eius quingentarum librarum debitor hunc vadem posuisset. Cumque de absolute captiuitatum, de obedientia & religione Mitzlai Principis multa esset tam populo, quam Episcopo, & omnibus, qui aderant, in Domino exultatio, & ad consummationem dedicationis ministri ac sacerdotes alacriter festinarent, & necessaria præpararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram positum erat, inueniri non potuit: cumque ministri commissionem salis & vini & cinerum facturi, de non inuentis cineribus turbarentur; Vdalricus sacerdos correpta concha vicinas domos vnam vel duas scrutatus, in eis cinerem non inuenit. Deinde ad tertiam currens, cryptam quãdam subterraneam, in qua prædictus adolescens in abditiore parte claudebatur, intrauit. Sed captiuus per fenestram manu porrecta, & sonitu facto, currentem sacerdotem ad se vocat, rogans, vt pro sui liberatione, Episcopo significet.

Sacerdos verò correptis cineribus properanter ad Ecclesiam rediit, & opperienti Episcopo, aliisque fratribus, de illo captiuo insinuat. Episcopus verò, quamuis misericordia mouere-

*Tergiuersatæ
Mitzlai de
captiuorū di-
missione.*

*Instat Episco-
pus.*

** Dania.*

*Adolescens Da-
nia captiuus.*

*Supplicat Vdal-
ricus sacerdoti
pro liberatione.*

*Vdalricum rem
deferat ad Epi-
scopum.*

ueretur; tanta, inquit, præstitit nobis, vt amplius eum graua-
re rogando non audeam: tamen, ne gaudium festi huius ali-
qua ex parte claudicet, super huius quoque miseria Dei mise-
ricordiam inuocemus: & conuersus ad Orientem cum mini-
stris, quasi hora vna preces fudit ad Dominum. Deinde sa-
cerdotibus ait: seorsum accipite Mitzlaum, & quàm mode-
stius potestis, super hoc verbo exhortamini. Quod cum
facerent; Mitzlaus ait; in hoc vno homine parcat mihi ve-
lim prudentia vestra. Nam pater eius maioribus mihi de-
bitis adstrictus est, quàm vt gratis absolui possit. Sufficiat
vobis, quod tantos absolui. Tunc illi, re vera, inquit, mul-
tum est, quod fecisti. Miratur hoc Dominus Episcopus: mi-
ramur & nos. Nec in longo tempore à Christianis tale quid in
terra nostra comperimus, vnde & Dominus noster Episcopus,
& omnes fratres gratias tibi referunt, & honori te habent, &
semper habebunt. Deoque omnipotenti, cuius te seruum ex-
hibuisti, quò de omnibus vicem sibi rependat, deuotè suppli-
cabunt. Nam & Dominus Episcopus tam magni pendit,
quod fecisti, vt vltra quidquam rogare te, iniuriam putet. Vn-
de, quasi parcens dilectioni tuæ, ore proprio rogare te vere-
cundatus est. Sed noueris in veritate, quoniam, si quo pacto
te ipsum vincens, hoc bonum cæteris tuis meritis superadde-
re posses, magna tibi gratia, magnaque recompensatio apud
Deum cumlaretur. *Magnus etenim Dominus Deus noster, & ma-
gna virtus eius: morisque illi cum sit, pro paruis magna restituere,
quanto magis pro magnis maxima? Quod si hoc magnum
& difficile tibi pro ipso feceris, non sine mercede maxima ab
eo in donatus remanebis.*

*Episcopus per
Sacerdotes ad
Mitzlaum.*

Psalm. 146.

*Benignitas
Mitzlaur.*

Sed quid multis? Ingemit homo, tacitusque ab intus spi-
ritu pietatis, totus soluitur in lacrymas. Deinde cum ipsis Cle-
ricis ad Episcopum tendens: En, ait, Pater sanctissime, in ista
quoque petitione Deum meum & te seruum eius, Dominos-
que meos sacerdotes ministros tuos honorabo, quin imò pro
nomine Domini mei IESU corpus meum & omnia mea, si
ratio postulauerit, deuotus impendam. Et iubens adduci
vincum fero & catenis oneratum, flentibus omnibus, qui
ad-

aderant, in hostiam & oblationem Deo aræ imposuit, petens sibi remissionem peccatorum, à Domino pro ipso recompensari. Ita ergò in plenitudine gaudij spiritualis tota illa Ecclesia feruente & laudes Deo super vniuersis bonis ac donis eius concinente, dedicatio consummatur; omnesque alij, exemplo Mitzlai Principis, vias suas correxerunt vnusquisque ab iniustitiis & violentiis seu oppressiõibus suis temperando, & vi ablata proximis suis restituendo.

*De pauore Pomeranorum, & quomodo per
Episcopum liberati sunt.*

CAPVT XII.

Celestia igitur proficiebat & crescebat, & licet in-
uidente diabolo, ambulans in timore Domini
Spiritu sancto replebatur. Sed hostis antiquus
damna sua non ferens, opera Dei turbare molitus,
validis terroribus vniuersam prouinciam concussit. Nam
Boletzlus Dux Polonorum inuictissimus, in multa fortitu-
dine & copioso militum apparatu, de terra sua veniens, iam
in ipsis terræ Pomeraniæ terminis castra metatus ferebatur, in
furore graui terram ipsam ingressurus. Audierat enim, quod
post priorem beati Ottonis prædicationem, nec pacti secum
fœderis, nec susceptæ religionis iura, seruare curarent. Insu-
per compertum habebat, quod eæ ciuitates, quæ pridem cõ-
uersæ fuerant, cum his, quæ conuersæ nondum fuerant, re-
missi tributì veniam aspernati, sui que mediatoris obliti, viri-
bus suis se deinceps tutos fore considerent, munitionibus &
castris, quæ bellica vi complanata fuerant, ex magna parte hoc
interuallo reparatis. Vnde, quasi iustam commotionem ha-
bens Dux, iterum eos contere veniebat, suæ que ditioni sub-
iugare.

Quod illi audientes, missis que sapius atque remissis ex-
ploratoribus, exercitum iam in proximo cognoscentes, mul-
s tum

*Sefridus.
Edit. Can. lib.
3. cap. 9.
Rumor de ap-
petente bello
Pomeranos.
percellit.*

*Expediõ Bo-
leslai Ducis
Polonorum in
Pomeranos.*